

<RECTE VIVAS>

1402  
A. -f. 28  
de jult.

**Q**UIA lassatus continuis hodie clamoribus loqui diu non valeo, verbis protractionis stilum volo succidere et nostrum determinantem pro futuris contingentibus paulisper amonere non incassum, sed ut perstringat vicia, virtutes suscipiat et inter virtuosos homines recte vivat. Unde ipsum adhortans brevissime dico: Recte vivas.<sup>1</sup>

Kathonis sunt verba moralissimi, qui ut fistula Spiritus sancti, Wenceslae, canit tibi intonans: recte vivas, nam, qui recte vivit, bene vivit, qui bene vivit,† [sic, si ibi] nunquam peribit. Igitur, Wenceslae, recte vivas, aliena<sup>2</sup> noli appetere, risum lascivum memento devitare, verba inutilia prescinde, veritatem defende, quod bonum est, stude<sup>3</sup> agere et sic recte vivas. Honestè incede, noli maiores deridere, nullum velis iniuste irritare. Sic recte vivas. Mala respue, futura prevede, ut recte vivas. Alios te meliores estima, tribulationes pro iusticia sustine, ut recte vivas. Fuge mulieres, quere artes, exerce virtutes, ut recte vivas. „Quere<sup>4</sup> bonos mores,“ quia, si queris, invenis, si non queris, eciam, quod habere videris, perdes. Igitur noli ocio perdere, quod invenisti, sed „quere bonos mores“, ut recte vivas. „Quod<sup>5</sup> satis est, dormi.“

„Plus vigila semper, ne sompno deditus esto,

Nam diuturna quies viciis alimenta ministrat,“

dicit moralissimus Catho.<sup>6</sup> Sic recte vivas. Scito, quia Cathonis<sup>7</sup> secta, id est societas, regulam tenuit, scilicet

„servare modum finemque tenere

Naturamque sequi patrieque impendere vitam,

Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.“

Hanc si tenueris, poteris recte vivere. Recte vivas, quomodo, ut ait Sextus<sup>8</sup> philosophus, fidelis sis homo. Nam ait: „Fidelis homo ellectus homo est, ellectus homo homo Dei est, qui Deo dignus est. Dignus Deo est, qui nichil indigne agit studens fidelis Deo esse.“ Ecce, quam salubriter te docet iste philosophus,

ut sis fidelis et sic recte vivas. Doleas de malis commissis, fuge futura mala,  
gaudium eternum pensa et penam perpetuam, ut recte vivas.

„Cum<sup>9</sup> recte vivas, ne cures verba malorum.

Arbitrii nostri non est, quid quisque loquatur.“

Tu ergo recte vivas accepto baccalaurei gradu.

In nomine Domini nostri Iesu Cristi.

<sup>1</sup> Catonis Disticha III 2,1    <sup>2</sup> Cf. Catonis Breves sententiae 54    <sup>3</sup> Cf. Catonis Breves sententiae 55  
<sup>4</sup> Non inveni; cf. Hus, Quere bonos mores (p. 62)    <sup>5</sup> Catonis Breves sententiae 19; cf. Hus, Instrue  
preceptis animum (p. 78)    <sup>6</sup> Catonis Disticha I 2; cf. Hus, Instrue preceptis animum (p. 78)    <sup>7-9</sup> Non  
inveni